DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
MELANCHOLIA HYSTERICA,

QVAM
DEO T. O. M. CLEMENTISSIME ANNVENTE,
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE
ET PRO-CANCELLARIO,
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,
DOMINO
**HRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS,**
EPISCOPO ANEMORIENSI,
NENTISS. ARCHI-EPISCOPI ET PRINC. ELECT. MOGVNT. PER THVRINGIAM,
SIAM ET EICHSFELDIAM IN PONTIFICALIBVS VICARIO GENERALI, CON-
. ECCLES. SVFFRAGANEO ET SIGILLIFERO ERFORDIENSI, J. V. D. INSIGN.
ECCLES. COLLEG. AD S. SEVER. CAN. CAP. ET SCHOLAST.
*NSENSV ET AVTORITATE INCLYTÆ ET GRATIOSÆ
FACVLTATIS MEDICÆ IN ALMA HIERANA*
SVB PRÆSIDIO
N. JOANNIS FRIDERICI DEPRE,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
NENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. AVLICI ET ARCHIATRI,
NAT. BOTAN. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD.
n. n. CIVIT. ERFORD. SENAT.
PATRONI ATQVE PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,
PRO LICENTIA
VPREMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME OBTINENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET
AVTOR ET RESPONDENS
H. FRIDERICVS CLEMENS, *Islebio-Mansfeld.*
Med. Pract. Sangerhus.
DIE XII. APRILIS ANNI M DCC XXVII.
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



PROŒMIVM.



Anitatem & integritatem corporis nostri ab animi vitæque Tranquillitate *multum dependere, & fere unice sustentari, nemo forsitan credo, præprimis ex prudentioribus in dubium vocabit: Cum enim, jubente ita* Supremo Numine, *tanta & tam exquisita inter* corpus & animum *nostrum intercedat Harmonia, ut mores & inclinationes hujus ad* progressum motuum vitalium, *& corpus conservantium maximam partem componantur, mirum haud est, quod reciproco plane modo alterationes mentis ultra gradum naturalem, & ordinarium contingentes, sanitatem nostram vel nimium quantum turbent, atque concutiant, vel etiam liberius promoveant, atque restituant, pro varia nimirum tam commotionis atque activitatis & energiæ, quam corporis ipsius constitutione. Quare etiam ad hunc usque diem strictam, & antiquam illam legem in corpore nostro observamus, ut quotiescunque* motus *isti* vitales *vel nimium* intenduntur, & augentur, *vel præter solitum* remittuntur, & debilitantur, *imo exsolutis tandem viribus plane* cessant, *toties quoque* mens *ipsa accura-*

ta quadam proportione ad has motuum alterationes, & vicissitudines, conturbetur; *& hinc ex usu non tam medico, quam harum rerum communi optime elucescit, quod graviora quæcunque corporis mala & pathemata utplurimum quoque diversos, & satis graves in animo excitent errores, illumque haud raro in totum confundant atque pervertant.*

Possem equidem assertum hocce exemplis illustrando, & confirmando in amplissimum campum excurrere, aut plane evagari, si prolixitatis studiosus essem, aut veritatem istam multis speciminibus, atque observationibus roborandam esse crederem, quoniam innumera fere prostant genera deliriorum *phreniticorum, maniacorum, melancholicorum, aliorumque mitiorum, pariter ac vehementiorum, quæ modo ob febres, modo ob stases inflammatorias humorum, modo etiam ob difficilem eorundem per vasa, & viscera nobiliora transitum, aliaque vel motuum vel humorum vitia excitantur, & causantur; ast lubens talia nunc omitto, quoniam eadem per experientiam satis superque jam jam constant, & sensus, atque usus communis cuilibet in hoc negotio veritatem luce meridiana clariorem facile demonstrant, ut propterea neminem extiturum fore, certo confidam, qui non veram, & solidam hanc cognitionem de alterationibus facultatum Animæ, earumque turbis, & confusionibus a morbis & læsionibus corporis, ejusque partium nobiliorum dependentibus, Medico summe necessariam, ac utilem judicaverit.*

Et hanc quoque ob causam in præsentiarum speciale quoddam exemplar turbationis actionum moralium *a prægressis* causis, & pathematibus materialibus *introductæ in MELANCHOLIA HYSTERICA loco Speciminis Inauguralis L. B. sistere mecum decrevi, quoniam hæc species delirii*

lirii

lirii in maribus equidem alias pariter haud infrequens, fœmineum genus tanquam debile, impotens, & temperamenti ratione magis lubricum, ſemper gravius, atque diutius affligit, adeoque ſic jure meritoque majorem in cura attentionem, ac diligentiam expoſcit.

TV vero DEVS T. O. M! ſpiritu ſcientiarum ac lætitiarum animum meum, uti ſupplicibus imploro precibus, adimple & exhilara, ſimulque rationem meam tenuem ab illuſionibus quibuscunque melancholicis, aut ſaltem credulis, abſurdis, atque vanis *clementiſſime præſerva*, ut cuncta hæc in immenſam TVI gloriam, proximi emolumentum, meique ſalutem cedere queant.

§. I.

MELANCHOLIÆ vocabulum equidem *in Foro Medico* diverſimode accipitur, & modo *de ſubſtantia* uſurpatur, ſicque certum quendam inter Veteres præprimis maxime decantatum humorem tam naturalem, quam præternaturalem deſignat; modo etiam *pro accidente*, aut *effectu quodam morboſo* ſumitur, atque in varias poſtmodum ſpecies a Pathologis diſpeſcitur; ſed unica tantum & quidem ultima nobis heic loci arridet acceptio. Per *naturalem* enim *humorem*, *Melancholiæ* vocabulo indigitatum, ſuperioribus ſeculis pars craſſior Maſſæ ſanguineæ è chylo proveniens, & vel in Hepate, vel in Liene ſecretus, communiter denotabatur, cujus in locum nunc modernorum aliqui liquorem Pancreatis limpidum, ſive ita dictum *Succum Pancreaticum* ſubſtituunt, eumque corruptum, imprimis acidiorem, corroſivum ac

ſimul lentum & viſcidum redditum *atræ bilis* aut *melancholiæ præternaturalis* titulo inſigniunt, licet *Antiquiores* proprie viſcidiorem illum ſanguinem hepaticum, vel ſpleneticum, in quantitate & qualitate depravatum, quem *Antonid. van der Linden Meletem. Medic. Hippocr. Libr. III. §. 45. Limoſum iſtud ſanguinis* a conſueta ſua craſi ita degenerans, ut *atram bilem* refert, ſub ultimis hiſce vocabulis ordinarie intellexerint.

§. II.

Quodſi vero ex noſtra mente *Melancholia* pro *morboſo* quodam *accidente* ſumatur, tunc juxta Veteres pariter ac Recentiores Medicos ordinarie vel in *latiori*, vel in *ſtrictiori* ſenſu accipitur; *Latius* enim uſurpatum illud vocabulum quodlibet *delirium* ſive minus, ſive majus, leve aut gravius illud fuerit, ſub ſe comprehendit, & hac ratione tam de Moroſi, quam Mania, Phrenitide, Lycanthropia, Miſanthropia, &c. uſurpari poteſt; in *ſtrictiori* autem *ſenſu* non niſi *depravationem rationis & Phantaſiæ, absque febre & furore contingentem, ſimul vero cum metu, & triſtitia, aliisque abſurdis ac vanis præfigurationibus, atque conceptibus ſtipatam* denotat, & tunc communiter vel *idiopathica* ſive *eſſentialis*, quæ a ſola mentis falſa præfiguratione dependet, nullumque plane, vel ſaltem non ita exactum cum cauſis & læſionibus materialibus commercium habet; vel *ſymptomatica*, ſeu *conſenſualis* exiſtit, quæ ex conſenſu, & corporeis læſionibus modo Hepatis, Lienis, & plerorumque abdominis viſcerum originem ſuam ducit, atque hinc *Melancholia hypochondriaca* audit, modo etiam ex uteri vitiis & læſionibus non tam ſubſtantialibus, quam potius

for-

formalibus excitatur, eaque propter *Melancholia hysterica* ſeu *uterina* ſalutatur, quæ etiam illa proprie ſpecies eſt, quam in præſentibus pagellis paulo diffuſiori ſtylo deſcriptam & explicatam ſiſtere mecum decrevi.

§. III.

Differt autem ab aliis *deliriorum* ſpeciebus hæc noſtra quoad varias circumſtantias, ita ut rarius, & non niſi ab imperitis tales inter ſe confundi queant: A *Phrenitide* enim & *Mania* diſcrepat inprimis ratione *ſymptomatum* urgentiorum, qualia in noſtro affectu *metus* & *triſtitia*, in priori autem i. e. *phrenitide*, *febris* exquiſita *inflammatoria* cum furore perfecto, & in poſteriori, ſive *mania* audacia ſumma cum robore plane ineffabili, aliisque horrendis ſymptomatibus ſtipata, exiſtunt; & licet interdum Melancholia *febrem* quoque pro comite habeat, tamen iſta tunc non ut cauſa, ſed potius ut ſymptoma ejusdem reſpicienda eſt, quoniam non ſtatim in primis harum febrium initiis, uti in Phrenitide obſervamus, occurrit, ſed vel circa tempus incrementi, vel tempore decrementi illarum ſua utplurimum initia ſumit.

§. IV.

Differt proinde etiam *Melancholia uterina* a *Furore uterino*, aut ita dicto *amore veſano* quoad cauſas. Licet enim hic pariter ſit affectus imaginationis corruptæ, atque facile tandem in Melancholiam & Maniam tranſeat, ſicque multam, præprimis ratione partis affectæ cum præſenti morbo connexionem habeat, tamen ob amorem excedentem & ſæpiſſime ſtolidum, qui primariam pro eo excitando occaſionem ſuppeditat, & in *hyſterica melancholia* nunquam plane occurrit, ab ea vel maxi-

maxime diſcrepat. Ne dicam de inſignioribus illis alterationibus circa motus tam vitales, quam morales ordinarie in ſubjectis furore tali correptis, occurrentibus, atque tunc inprimis quoad pulſum pariter, ac reliquas actiones perfecte obſervandis, quando perſonæ proprie ita dilectæ ſubito alii recordantur, de quibus ſingulis nihil plane ſub noſtro affectu occurrere ſolet.

§. V.

Porro diſtinguitur quoque præſens hæc *Melancholia* a *Moroſi* ſeu *Fatuitate* & *Miſanthropia* maxime quoad *ſigna:* Fatui enim & Miſanthropi timorem atque triſtitiam cum Melancholicis hiſce ſubjectis quidem communes habent, ſed multo vehementiores communiter in illis obſervantur, ita ut perfecte taciturni reddantur, & ſolitudinem non ſolum quærant, ſed & conſortium omnium hominum ſumma anxietate fugiant, memoriam cum ratione amittant, &, ſi etiam quicquam proferant, non niſi incompoſita effutiant, in quibus primum nihil commune habet cum ſecundo, juxta obſervationem GRÜNLINGII *Medic. Pract. Lib. 1. Part. 1. p. 25. &* FORESTI *Obſerv. Med. lib. X. obſerv. 31. in Schol.* E contra vero Melancholicæ tales, licet etiam loca ſolitaria pariter ſibi magis ſeligant, ſocialitatem hominum non ita extreme averſantur, nec etiam adeo incondita loquuntur, ſed utplurimum de æterna ſua ſalute deſperant, & quæ in ipſorum ſolatium afferuntur, plane contemnunt, ſibique appropriare pertinaciter recuſant; De reliquo vero quoad memoriam, & cogitationes parum, vel nihil alterantur, aut læduntur, adeoque præ prioribus mitiori utique malo oppreſſi deprehenduntur.

Quod

Quod vero differentiam *Lycanthropiæ* & *Hydrophobiæ* a noſtro affectu attinet, hanc ex ſignis illorum inter ſe collatis facillimo negotio erui poſſe confido, adeoque nec de hac, nec etiam de differentia inter *hypochondriacam*, & noſtram *hyſtericam Melancholiam* fuſius heic loci agendum eſſe puto, quoniam ea minoris itidem momenti eſt, atque diverſa non niſi ſubjectorum, & ſuppreſſarum excretionum conditione nititur, cujus intuitu prior virili tantum ſexui, & inprimis hæmorrhoidariis, difficili ac impedito hujus excretionis ſucceſſui expoſitis, in gradu quodammodo mitiori, poſterior autem virginibus pariter ac fœminis, puerperis atque viduis, irregulari impedito aut plane ſuppreſſo menſium ac lochiorum fluxu laborantibus, & quidem in vehementiori adhuc gradu, familiaris eſſe obſervatur.

§. VI.

Ad *hiſtoriam* ergo turpiſſimi hujus affectus, dum ordinis gratia nunc progredior, ante omnia *ſubjectorum* ſtatum, & conditionem paulo intimius, & accuratius perluſtrare, & indicare placet, ut ita veram non ſolum morbi indolem, ſed & diverſam ejusdem originem exinde tanto facilius cognoſcere & dijudicare queamus. Varia igitur variæ ætatis, & conſtitutionis ſubjecta fœminina malo huic in genere obnoxia reddi, jam jam in præcedenti theſi indicatum fuit; & licet nunc pluribus Auctorum ſuffragiis ac teſtimoniis idem hoc ulterius facillime firmare poſſem; lubens tamen hoc negotio ſuperſedeo, cum unicus SENNERTI locus, qui *Lib. 1. Prax. Part. II. cap. 13. p. 404.* extat, pro hoc ſcopo facile ſufficere queat; Sic enim Vir modo laudatus ibidem ſcribit:

Malum hoc virginibus jam nubilibus familiare est, cum sanguis ad uterum confluens, ibique exitum quærens, talem non invenit: Deinde viduis imprimis, ob curas & mœrorem animi, in quem ob mariti obitum plerumque conjiciuntur; Ut & aliis fœminis, quibus menses aut post partum purgationes ex aliqua causa evidente non recte fluunt, & (quæ uberioris tantum declarationis ergo hisce superaddere lubet,) quibus præter temperamentum strictius seu Melancholicum, insimul vitæ genus otiosum præ laborioso, & lautum præ temperante, magis arridet, atque animus speculationibus, & profundioribus meditationibus nimium deditus a multo jam jam tempore iisdem assuetus est.

§. VII.

Solet autem tale delirium in ejusmodi subjectis communiter ab initio lentis admodum gradibus fundamenta sua ponere, & nonnisi successive invalescere, donec tandem post diuturniorem moram perfecte erumpat, ac pernitiosam suam indolem cum ordinariis atque consuetis signis prodat; hinc post prægressam antea mensium vel lochiorum notabilem imminutionem, aut plenariam suppressionem *consueta* utplurimum experiuntur *pathemata hysterica*, cum depravatione appetitus in perfectam tandem nauseam, & plenariam ciborum aversionem degenerante: Accedunt molesta abdominis intumescentia cum crebrioribus e ventriculo prorumpentibus ructibus, oppletio pectoris, respiratio difficilior, & immensæ præcordiorum anxietates suffocationem repentinam quasi inferentes; concurrunt agrypniæ fere continuæ, dolores graviores cepha-

phalalgici, maxime iliaco-hæmatitici, ſomnus brevis, & luſciniæ ſomno brevior, atque terrificis inſomniis nimium turbatus, alvus redditur inconſtans, aut plane ſicca, urina, quæ excernitur, pauca admodum, & ſimul craſſa & turbida eſt, facies impalleſcit, marceſcit, & colorem ex livido-fuſcum induit, ſtatumque cacochymicum ex impedito imprimis ſe- & excretionum ordinariarum progreſſu enatum, ſic ſatis experte prodit.

§. VIII.

Eximias igitur & ſonticas haſce functionum corporis vitalium alterationes excipiunt denique etiam moralium actionum turbationes, & confuſiones, quæ ipſam hanc Melancholiæ ſpeciem poſtmodum exactius produnt; hinc incipiunt anxiis, atque terrificis cogitationibus infeſtari, & de peccatorum ſuorum mole, ac difficillima, aut fere impoſſibili illorum remiſſione, absque ullo tamen ordine verba profundere: Prorumpunt etiam frequenter in lachrymas, maxime ſi in ſolitudine ſe videant, quam propterea ſæpius quærunt, & nimium æſtimant, quanquam ſub his circumſtantiis conſortium aliorum hominum ſæpe non æque in totum fugiant, ſed pariter quoque data occaſione adhuc admittant, donec tandem *Timor* ac *Triſtitia* perfecta, ceu univerſales illi characteres, & infallibiles Melancholiæ teſtes ſuperveniant, de quibus ſuo jam tempore magnus noſter HIPPOCRATES *Sect. VI. Aphoriſm. 23.* enunciavit, quod, ſi diu ac nimis longo tempore perſeverent, ſemper Melancholiæ ſigna conſtituant. Tunc vero perturbatæ tales ægrotæ communiter tædio vitæ afficiuntur, mortem crebrius exoptant, rarius tamen

vel nunquam ſibi illam conſciſcunt, licet etiam cibum per multos dies recuſent, & ad illum capiendum nullo prorſus modo diſponi ſe ſinant: Suſpicantur utplurimum ſervos, atque præfectos adeſſe, qui ipſas tanquam de peſſimo crimine accuſatas, ad carceres & vincula deducere intenderent; quin imo! ob peccata commiſſa ſe coram judicio divino jam jam damnatas eſſe vociferantur, nec ullam ſpem ſalutis æternæ ſibi ſupereſſe, concedere, aut credere volunt, ſicque miſerrimam hancce vitam continuo ita protrahunt, donec tandem concurrente ſpeciali gratia divina, iterum in totum abinde liberentur, aut per mortem tamdiu exſpectatam, ac deſideratam ex hac vita ad aliam evocentur, & transferantur.

§. IX.

Quantum vero ad *ætiologiam*, & inprimis genuinam hujus mali ſedem attinet, eam utique primario in *utero*, & partibus ipſi connexis, ſecundario autem in *animo* inquirendam, & ponendam eſſe duco. Ex utero enim, tanquam ex Pandoræ Pyxide, plurima & fere innumera tum reliquo corpori nimium pernicioſa, tum ipſam quoque mentis arcem oppugnantia mala, atque ſymptomata prodire, in conceſſo & confeſſo eſt apud pleroſque Pathologorum, adeo, ut ipſe etiam HIPPOCRATES noſter illum ſexcentarum ærumnarum Autorem appellare non dubitaverit. Sic enim Epilepſiam, & motus graviſſimos convulſivos ex utero ſæpiſſime originem ſuam habere, teſtatur RODERIC. a CASTRO *de Morb. Mul. Lib. II. Sect. I. cap.* 2. idemque ſatis confirmant RIVERIVS *Cent. II. obſ.* 31. TIMÆVS a GVLDENKLEE *Caſ. Medicinal.*

nal. Lib. I. pag. 27. HORSTIVS *Part. II. de Morb. mul. Lib. I. observ.* 48. aliique. Sic ex uteri, & ejus contentorum vitio, ſpeciale illud delirium, cum immani Veneris appetitu conjunctum, conjugatis pariter ac innuptis ſubinde eveniens, & ſub titulo *Furoris uterini* ſatis jam jam cognitum, excitari, demonſtrant exempla a FELICE PLATERO *Obſ. Lib. I. p.* 81. HORSTIO *Lib. II. de morb. cap. obſ.* 14. *p.* 111. & HARVEJO *Exercit. de partu pag.* 510. recenſita. Aliarum miſeriarum in ſexum ſequiorem ex hoc fonte fluentium, & redundantium meminere alii, ut propterea mirum haud ſit, ſi & inſolitæ tales mentis aberrationes, quales *Melancholia* noſtra *hyſterica* exhibet, pariter ex eodem fundamento deriventur, & deducantur.

§. X.

Quando igitur circa uterum, ſæpius hactenus allegatum, ſanguis particulis ſuis laudabilibus, & ſubtilioribus ſub circulatione & nutritione antea exutus, quem alias ordinarie per menſtruas, ac lochiales purgationes conſueto ſuo tempore evacuari novimus, ſubſiſtit & ſtagnat, & quidem vel ob præmaturam, & nimiam orificii uteri conſtrictionem, vel ob vaſorum venoſorum liberum humoribus tranſitum concedentium anguſtiam, vel depravatam ipſius ſanguinis mixtionem, & qualitatem, tunc communiter primam hujus mali tragœdiam ibidem incipit, inceptam poſtmodum humoribus, partibus vicinis, & ſucceſſive pluribus aliis communicat, functiones non ſolum vitales, ſed & morales graviter turbat, impedit, & alterat, ſicque prima pro introducendo proxime ſubſequente delirio, fundamenta ponit. Quantum enim impeditior, aut plane ſup-

pressus mensium, & lochiorum fluxus ad genesin affectuum hypochondriaco-hystericorum conferant, in propatulo jam jam est, siquidem, ut nihil plane dicam de conspiratione Venæ Portæ cum utero per ramulos quosdam ex hæmorrhoidali vena ad cervicem, aut vaginam ipsius transeuntes, qua alias plura circa hoc negotium occurrentia phœnomena pulchre explicari possunt, ordinarie deprehendimus, quod præternaturalis ista sanguinis retentio, ob lentum nimis humorum progressum semper aliqualem eorundem *crassitiem*, atque spissitudinem post se trahat, quæ postmodum nullibi in toto corpore facilius læsiones inducere valet, quam in hac ipsa Vena Portæ, ob mechanicam plane ejusdem ad hæc mala dispositionem.

§. XI.

Quoniam vero idem illud corporis nostri principium, quod cogitat, insimul quoque actus omnes vitales administrat, adeoque perfectam inter utrosque illos actus harmoniam observat, idcirco haud mirum est, quod illud ex impedito sanguinis per Venam Portæ & visera cum eadem connexa progressu, atque stagnationem talem expediendi, & tollendi difficultate, imo de expectandis postmodum partium corruptionibus, & metuenda exinde universi sui corporis destructione, sollicitudinem quandam capiat, & ex hac occasionem nanciscatur, parem quoque in rationali suo actu angustiam, parem metum, & paria obstacula sibi præfigurandi, timori, atque tristitiæ magis magisque indulgendi, anxias & desperebundas cogitationes sibi formandi, ac denique perfectam talem *Melancholiam*, quam propterea *hystericam* vocare placet, introducendi.

§. XII.

§. XII.

Non ſolum autem in formanda hac turbarum hyſtericarum & melancholicarum tragœdia ſubſiſtunt retentæ, atque ſuppreſſæ illæ ſanguineæ excretiones, ſed cum per ordinarias vias prodire nequeant, inſolitas & extraordinarias propterea quærunt, & quidem primo tales, quæ conſueto ipſarum emunctorio, nempe *utero*, proximiores ſunt, eamque ob cauſam tantos, & tam varios circa abdominis viſcera ſpaſmos, & cruciatus moliminibus eluctatoriis, preſſoriis, atque tenſivis ſtipatos excitant; Si vero propoſitum ibidem non obtineant finem, tunc ad remotiora magisque diſſidia, quibus alias pro excernendo ſanguine ſuperfluo uſa fuit Natura, ultro tranſeunt, atque varias ſuperiorum locorum hæmorrhagias, narium nempe, pulmonum, aut ventriculi promovere, & excitare intendunt, ſicque tandem ob congeſtum ſeu translatum ad has partes ſanguinem, & cauſatam exinde ſubtilium membranarum diſtenſionem, varios dolores, ſtagnationes, ſtaſes, inflammationes, *cephalalgias*, artuum & ſcapularum inprimis tenſiones, ac compreſſiones, *reſpirationis difficultatem*, præcordiorum anxietatem ad *ſuffocationem* fere excreſcentem, laſſitudinem totius corporis, ſpeciatim vero extremitatum, & plura alia mala, ſub diverſis plane ſchematibus ſeſe ſiſtentia producunt.

§. XIII.

Quod reliqua tandem in *hiſtoria* recenſita, & adducta phœnomena attinet, & quidem ex *moralibus*, inſolitum illud *moriendi* deſiderium, ac de ſalute æterna *deſperationem*, talia non niſi ex errore phantaſiæ, falſam

pec-

peccatorum, eorumque pœnarum ideam Animæ repræſentantis, reſultare juduco; in *vitalibus* autem *appetitus depravationem*, & *ciborum averſionem* partim moralis iſta anxietas, partim quoque variæ in ventriculo productæ cruditates, & impuritates viſcidæ cauſantur; *intumeſcentiam abdominis* flatulentia, & ſanguinis ſimul ex prægreſſa menſium ſuppreſſione regurgitatio & reſtagnatio inducunt, *agrypniam*, & *ſomnum interruptum*, ac nimis brevem perpetua animi ſemper meditabundi, ac triſtioris inquietudo concitat; *alvi ſegnitiem* ex parte motus inteſtinorum periſtalticus, ob ſtagnantem in vaſis meſaraicis ſanguinem craſſiorem, impeditus, ex parte vero cibationis neglectus atque defectus poſt ſe trahunt, ex quibus etiam *macies*, & *coloris vividi* in *pallidum & luridum converſio* ob ſuſpenſam inprimis chyloſin prognaſcuntur.

§. XIV.

Exinde nunc ſatis exacte liquet, quod *cauſa antecedens remota* noſtri affectus in depravata, aut ratione temperamenti, connata ſanguinis ſpiſſitudine; *cauſa propinquior* in menſium aut lochiorum imminutione, vel ſuppreſſione, & denique *cauſa immediata* ſeu *proxima* in phantaſiæ corruptione, & actionum moralium confuſione conſiſtat; cauſam vero efficientem partim læſus, & impeditus ſanguinis per Venam Portæ progreſſus, partim etiam ipſum principium vitale nimium ſenſibile, atque ſollicitum, eaque propter ad ſuſcipiendas extraordinarias tales alterationes vel maxime diſpoſitum exhibeat.

§. XV.

Inter causas procatarcticas tandem primum utique locum sibi vendicat *temperamentum melancholicum*, quippe quod ob diffidentiam, meticulositatem de futuro rerum successu & eventu, suspicionem obstaculorum, sollicitudinem, anxietatem, ac trepidationem ad tales animi fluctus, atque luctus præ reliquis proclivius existit, eaque propter urgentibus etiam minimis calamitatibus statim desperat, & concurrente doloris caussa hanc ita firmiter animo impressam tenet, ut nullis fere mediis iterum ejici, & dispelli queat. Deinde etiam causis istis accenseri meretur specifica subjectorum constitutio quoad *ætatem*, dum ea, quæ *consistentis* ætatis sunt, juxta observationem GALENI *in Comment. ad Aphorism. 30. Sect. III.* ad generandam & fovendam *Melancholiam* præ ceteris semper aptiora magis & disposita esse observantur. Porro huc pertinet *sexus* inprimis *fœmininus*, tanquam debilior & timidior, eaque propter, *teste experientia*, in tale delirium pronior. Succedit huic *vitæ genus* otiosum, sedentarium, speculabundum, sanguinis non solum quantitatem nimium adaugens, sed & mixtionem, ac qualitatem ejusdem præter solitum depravans, hinc utplurimum infima fex populi, laboribus & operis assidue incumbens, corpus motibus fortioribus quotidiè exercens, & nullam vel rarissimam cum affectibus pugnam suscipiens, ab hoc malo perfecte liberavit, dum alii e contra in his circumstantiis forsitan peccantes, ab eodem facillime infestantur. Tandem quoque *errores* & *vitia rerum Non-naturalium* pariter huc referri merentur, & quidem ratione *aeris*,

tem-

tempestas perpetuo pluviosa, nebulosa, frigida, hybernalis, ut & commoratio frequens & diuturna in locis paludosis, nimium humidis, & sub athmosphæra crassiori; ratione *cibi* & *potus*, circa quos inprimis nullis fere regulis sese adstringi patiuntur mulieres, dyspepta, acida, salita, fumo indurata, chylum plerumque minus laudabilem, crassum, & viscidum ad sanguinem mittentia, nec non potulenta turbida, spissa, fæculenta, subacida, inprimis frigida, modo successivam, modo etiam repentinam sanguinis spissitudinem excitantia; somnus itidem justo parcior, aut frequenter interruptus, qui communiter universam massam humorum tam quoad mixtionem, quam quoad motum graviter alterare, sicque tandem totam œconomiam animalem mirum in modum offendere solet. Taceo lubensque prætermitto *animi pathemata*, inprimis mœrorem, timorem & terrorem, quoniam per se jam cognitum est, quod Melancholia ad illorum indolem jam jam proxime accedens, occasionem tam originis, quam augmenti ab iis facillime sumere queat.

§. XVI.

Sic ergo recensita hactenus historia, & ætiologia nunc aperte demonstrant, quod *MELANCHOLIA HYSTERICA* sit *delirium sine febre & furore, cum timore, tristitia, variisque aliis symptomatibus stipatum, ex sanguinis menstrui vel lochialis interceptione, & hinc pendente ejusdem impetuosa versus V. P. restagnatione atque connexa simul spissitudine, phantasiæ & imaginationis depravationem tandem inferente, causatum, atque productum.*

§. XVII.

§. XVII.

Quoad *Prognosin* truculenti hujus affectus, inprimis autem futurum salutarem ejusdem eventum, rarissime boni quicquam ominari licet, præprimis cum jam pridem GALENVS dixerit, quod vix aliqua deliratio tam tuta & periculi expers habeatur, ut non timendum sit de curatione minus, quam speratur, felici; idque confirmaverit tum ex parte læsa, nempe animo, quæ nobilissima, tum quoque ex causa, quæ fixa, & ad sanandum admodum dura est. Hinc etiam *Melancholia hysterica*, quo diutius durat, eo magis curationi reluctatur, ita ut, nisi mature terribilem hanc Hydram prostraveris, ex consensuali malo tandem certissime vel idiopathicum, vel prorsus ob succedentem inprimis majorem humorum orgasmum, periculosa haud raro propullulet *Mania*, teste magno nostro HIPPOCRATE *Sect. VI. Aphor. 56.* E contra vero tanto facilius ad salutem terminabitur idem ille Affectus, si superveniant eidem menstrua, & Lochia, aut ad minimum hæmorrhoidum fluxus, juxta tenorem *Aphorism. II. ejusd. Sect.* quippe quem loco Mensium suppressorum sæpissime salutariter fluxisse asserit GREGOR. HORSTIVS *Part. II. de Morb. Mul. observ. 5.* Confer. etiam HOLLERIVS *Tract. de morb. intern. Lib. 1. cap. 17. pag. 148.* Proinde in sexu masculino & media ætate facilius semper curatur similis affectus Melancholicus, quam in fœminis, aut aliis ætatibus, teste CÆLIO AVRELIANO *cap. 6. Lib. 1.* imprimis si virgines viro maturas aut viduas juniores lascivas, amore forsitan captas occupaverit: tunc enim facillimo negotio in *furorem uterinum* transit, quo semel ca-

ptæ tales utplurimum ita firmiter detinentur, ut potius mortem ſeligant, quam ab illo penitus velint eſſe ſolutæ, hinc non negligenda, aut procraſtinanda eſt hujus affectus curatio, præprimis in debilioribus ſubjectis, ne ſi inveteratus, & habitualis quaſi factus fuerit, tandem plane incurabilis evadat.

§. XVIII.

Hoc enim circa *Therapiam* gravioris hujus affectus utique dolendum eſt, quod ob indolem ejusdem ſumme refractariam, maxime, ubi jam obfirmatus ille fuerit, raro perfectam promittere, aut ſperare liceat medelam, inprimis ſi immenſa medicamentorum farragine quispiam ipſum expugnandum ſibi ſumat, alia ſuper alia continuo ingerat, & his tandem, ſi diis placet, atras ab animo diſpellere curas intendat, ſiquidem cum BAGLIVIO *in Prax. reſtit. Lib. I. cap. 14. §. 7.* omnia, quæ in pharmacopoliis dicuntur *exhilarantia*, *antimelancholica*, *cor*, *& memoriam confortantia*, *ingenium excitantia*, potius ad quandam veluti pompam, quam ſecuram affectuum diſpulſionem, adinventa, eaque propter omnes tales conatus, cum ſolis hujusmodi remediis negotium illud abſolvendi, irritos, & plane fruſtraneos eſſe, merito ſuppono, ſimulque affirmo, quod ad talium paſſionum expugnationem non raro plus ſane faciat Medici *ſagacitas* in dirigendo ægroto, & hujus *confidentia* per blandiora Medici colloquia, intrepidamque dicendi licentiam excitata, quam decantatiſſima, & pompoſiſſimis titulis ornata pharmaceutica auxilia, cumprimis ſi non adeo grandis Maſſæ Sanguineæ & reliquorum humorum impuritas conjuncta ſit.

§. XIX.

Ne vero omnem adeoque vim, & efficaciam medicamentorum huic malo opponendorum tollere, & negare videar, brevibus quoque ea, quæ in tali casu secure, & cum effectu usurpari possunt, exponere placet. Resolvuntur autem omnia in *tres* potissimum *classes generales*, ut nimirum I.) *depravata humorum crasis corrigatur*, & *stagnationes circa V. P.* & *uterum excitatæ auferantur*; II.) *ut excretiones salutares imminutæ, aut suppressæ restituantur*, & III.) *actus remissi, aut plane omissi revocentur.*

§. XX.

Priorem igitur *indicationem* absolvunt maxime duo non æque pharmaca, quam e rerum, ut vocant, Nonnaturalium classe deprompta genera, nempe *Motus*, & *Potus*, quorum insignis ad revocandam sanguinis fluxilitatem efficacia ex Physiologicis jam jam satis abunde constat. Etenim auctiori illa tum singulorum musculorum, tum universi corporis agitatione, non solum motus progressivus universalis humorum magnum nanciscitur augmentum, sed removetur quoque insimul impedimentum particularis, & veluti privati illius circuli per V. P. quam inter alia innumera huic quoque malo *portam aperire*, & transitum liberiorem concedere superius jam jam demonstratum fuit. Hinc commendari merentur deambulationes frequentiores, & ascensiones montium, aliorumque locorum acclivium, ut respiratio, tanquam elater, & impulsor fluidorum per hanc venam augeatur, & sanguis hinc inde in ipsa obhærescens successive propellatur. Eandem

quoque efficaciam exerunt alii motus concussorii obstructiones quascunque reserare idonei, quo nomine extollimus hic loci, utpote in fœminini sexus subjectis, præcipue *Vecturam*, quam una cum *equitatione* alias superiori jam seculo SYDENHAM tanquam specifica, & præ innumeris certissima remedia contra has & similes turbas orbi communicare non erubuit.

§. XXI.

Ratione *potus* præstant sub hoc affectu non parum diluentia, præcipue calida, v. g. *infusa Herbæ Thee* aut *Caffee, aliarumque herbarum, aut radicum aromatico-alexipharmacarum*, non nimis saturata, in quibus insimul commodissime bis, vel ter de die *Essentiæ Alexipharmacæ*, & *moderatæ resolventes*, v. g. *Scord. Angel. Enul. Pimp. alb. Succin. ad gtt. XXX. vel XL.* assumi possunt. Sic etiam antiscorbutica consueta hic non sunt rejicienda, modo in ordinatione *spirituum acriorum, Cochlear. nempe Nasturt.* aliqua modestia adhibeatur, & eorum in locum herbæ potius in substantia ordinentur. *Volatilia Urinosa* itidem non dissuademus, quin potius illorum *spiritus*, ab empyrevmate suo liberatos, cum *TRa* quadam alcalina, v. g. ♁*ii*, ♀*i*, *&c.* utilissimos censemus, modo temperantia, incidentia, & inprimis ⊖ia digestiva sedulo interponantur, & præmittantur, ut sanguis viscidus, & lentus hac ratione tanto magis ad motum habilis, & dispositus reddatur.

§. XXII.

Alteram quod attinet *indicationem*, huic præmissis inprimis hactenus recensitis resolventibus, & attenuantibus, optime satisfieri potest per temperatiora *Emmenagoga*,

nagoga, atque vicarias alias ſanguinis depletiones; hinc licet tempore inprimis conſueto, quo alias menſes fluxerunt, *Elixirium proprietatis non acidum c.* ♎*tu Menth. vel Serpill.* paratum, ſingulis diebus ad *gtt. XL. aut L.* bis vel ter exhibere, aut ejus in locum temperatiores *Eſſentias Pimpinell. alb. Gent. r. Myrrh. Succin. Croci*, in refractiori doſi ordinare, aliaque probata menſes moventia combinare, donec in priſtinum ordinem reſtituatur lunare hocce tributum. Nec omittenda etiam eſt *V. S.* quam in morbis a ſuppreſſa ſanguinis evacuatione oriundis magni utique exiſtere momenti fatentur Practici Celeberrimi, inprimis ſi illa circa tempora æquinoctialia ſedulo repetatur, & in pedibus ſemper ad ℥vj. vel ℥viij. inſtituatur, ſimulque capacior quidam ramus venoſus pro impetranda majori revulſione ſeligatur. Quibus placet *Hirudines*, atque *Cucurbitulas vel cum, vel ſine ſcarificatione*, ſuris, aut interiori femorum parti applicare, atque frictiones poſt præmiſſa pediluvia, pannis aſperis & calidis perficiendas, conjungere, pariter non injuſte facient, quin potius eximiam quoque exinde utilitatem percipient. Quin etiam in uſum ſimul vocanda ſunt *laxantia, rhabarbarina, aliaque*, inprimis *decoctum Senn. cum Rhab. Agar. Mechoac. alb. & aliis appropriatis uterinis* compoſitum, ut & *Clyſteres* moderate ſtimulantes, & abſtergentes, interpoſitis *Pilulis amaris, & balſamicis &c.*

§. XXIII.

Tertiæ tandem *indicationi* ſatisfaciunt partim *univerſalia*, motus vitales in genere excitantia, *analeptica, confortantia*, & vulgo ita dicta *cordialia*, quo nomine inprimis

primis *Potiones, Julapia, & Emulsiones* ex ▽*is* ♌*tuosis, & aromaticis* v. g. *Ceras. nigr. Ros. Veron. & Cinnam. vinosis, Anhalt. Carbunc.* &c. cum *absorbentibus citratis* paratas, nec non *balsamica, gemmea, coralliata, cinnabarina, crocata*, atque *TRas veras ⊖res*, si modo obtineri queant, commendamus; partim etiam *particularia*, speciales tantum actus revocantia, & restituentia: Ita ad nauseam, anorexiam, & dyspepsiam non inefficacia erunt ⊖*ia digestiva*, præsertim quæ ex *Acido* ⊕*lico & alcali fixo* parantur, videlicet ♀ ⊕*lat. chrystallinus, Arcanum dupl. probe depur.* ⊕*um* ♀*isat. &* ⊕*lat.* cum absorbentibus marinis exhibita, interpositis simul aliis *acidis* ⊕*licis*, veluti *TRa* ⊕*li* ♂*tis Ludov.* ♂*tis pomat. Elix.* ⊕*li Mynf. Propr. Par.* aliisque aromaticis, & tonicis; ad motum progressivum sanguinis facilitandum, & excitandum *Alexipharmaca*, & superius commendata *moderate resolventia* multum inprimis contribuent, & turbas hasce gravissimas tandem sub auspiciis divinis, pristino ordini perfecte restituent.

§. XXIV.

Qnod *Diætam* attinet, tunc *cibi*, ad quos capiendos ægræ omnis generis persuasionibus invitandæ sunt, seligantur evpepti, grati saporis, & facilioris concoctionis; *potus* sit tenuis, non nimis feculentus, turbidus, aut eximie frigidus. *Somnus* quocunque modo promoveatur, & adjuvetur, conceptus falsi, & erronei dissuadeantur, & placide removeantur; *animi pathemata*, inprimis concitatio quævis ad iram, atque tristitiam intercipiantur & divertantur. *Solitudo* cane & angue pejus fugiatur, ac potius *consortium lætum, & amicum colloquium cum familiaribus & cognatis* instituatur; ubi autem talium occasio nulla est, non nisi precibus seriis ac devotis tempus exigatur, sicque novis alias forsitan pertimescendis insultibus occasio perfecte præscindatur.

S. D. G.